

Q. K.
375,
15.

X 1903677

II m
6063

Q. D. B. V.

EXARCHATUS

HISTORIA,
DISSERTATIONE ACADEMICA RECENSITA,

Quam
Sub PRÆSIDIO
VIRI.

Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. ÆGIDII STRAUCHII, S.S.

THEOL. LIC. MATH. INFER. P.P. NEC

NON HIST. SUBSTITUTI,

*publicæ συμφιλολογούντων examini
exhibet*

GOZZIUS BALDUINUS,


Cycneâ-Hermundur.

Ad diem IX. Septembr. cIs scI LXI.

A. O. R.

In Auditorio Philosophorum,

horis Antemeridian.



WITTEBERGÆ,

LITERIS MICHAELIS Wendt.



18.



G. D. B. V.

EXARCHATUS

HISTORIA

DISSERTATIONE ACADEMICA RECENTI

Summa

Sub Praesidio

V. R. I.

Plurimum Reverendi, Amplissimi ac Excellentissimi

Dr. Aegidii STRAUCHII, S.S.

THEOL. LIC. MATH. INFER. P. P. NEC

NON HIST. SUBSTITUTI

publica conspectatione examini

exhibet

WITTEBERGAE BALDWINIUS

Cyrenae-Hermandor

Am diei IX. septembris. MDCLXXI.

A. O. R.


In Auctoritate Praesidentis

in Universitate

WITTEBERGAE

WITTEBERGAE

PETERIS MICHAELIS





Q. D. B. V.



E Seculari Romanorum Pontifi-

cum potestate & prima ejus origine optimè mihi judicare videntur, qui non cum Parasitis Romanæ curiæ, ad prima Ecclesiæ N. T. incunabula eandem referunt, & juris divini faciunt, vel cum Bonifacio VIII. *Extra. de Major. & obedient. c. unam sanctam* voluntariè insaniunt, asserente: *In Ecclesia ejusq; potestate duos esse gladios, spirituales, videlicet & temporalem Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hîc: in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. &c.* Nec qui cum aliis deceptoribus, Constantini Magni liberalitatem hîc prædicant, & famosam paleam *c. Constantinus d. 96.* commendant; sed qui Dominatum Romani Episcopi, ab eo deducendum esse tempore, quò sublatis in Italia Exarchi sunt, Imperatorum scilicet vicarii, opinantur. Nullum enim majus Augustorum in Italia res detrimentum accipere potuissent, nullâ item re insidiæ Pontificum, quas Italiæ jamdudum tetenderant, promoveri magis, quam horum in Exarchatus civitates successione; Quamvis enim summum principatum, seu vim regendi, cum Cæsareo nomine, in ipsa Exarchatus civitates quoque ut reliquos taceam Principatus, sua Exarchata non comprehensos, largitores primi omnino reservarint sibi, Pontificum tamen, liberalitate Imperatoriâ ingratè abutentium, fraudulentia, & insatiabili exercendi majestatem, remotò Cæsarum jugò, cupiditate, factum est, quod quàm primum Exarchi desierunt, quietâ regni Italici possessione Imperatores privati cœperint. Cum igitur origo horum, ob Exarchatum, motuum, qui Italiam non tantum, sed universum Imperium concusserunt sæpè, scitu dignissima videatur Historia, ex antiquis monumentis eam eruere constituimus, & adductis prius Italici re-



gni vicissitudinibus, unde initium habuerit Exarchorum dignitas, unde finem nata sit, in quibus constiterit eadem & quæ alia disquiri possunt, ordine recensere, quod ut feliciter fiat, FAXIT DEUS!

§. I. Qualis apud Italarum vetustissimos, Etruscos, Umbros, Sabinos, Siculos, Opicos, Ausones & Aborigines, Reipublicæ forma fuerit, & an omnes ex Aboriginum indole, à *Sallustio* initiô Historiæ de Bello Catilinario his verbis delineata: *Genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atq; solutum*; judicandi sint, definiri nec à nobis, nec à quocumque mortaliû hodiè potest, quando sollicitus harû rerû indagator *Livius*, jam suô tempore conqueri necesse habuit, quæ à condita urbæ Roma ad captâ eandem urbē, Romani sub Regibus primùm, consulibus deinde ac dictatoribus, decemvirisque ac tribunis consulibus, gessere foris bella, domi seditio-nes, res cum vetustate nimia obscuras esse; velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur, tum quod perraræ per ea tempora literæ fuere; una custodia fidelis historiæ rerum gestarum; & quod, etiamsi quæ in commentariis Pontificum, aliisque publicis, privatisque erant monumentis, incensâ urbe pleraque interiere. Hoc unum igitur è vetustatis Romanæ reliquiis certum videtur, primum per Reges, post per consules, & qui Consulari vel huic analogâ, pollebant potestate, tandem per Cæsares plerosque Italiæ principatus, atque eos etiam, quos Exarchatus postea comprehendit, gubernatos esse. Et quamvis primum inter Reges Romanos Romulum vulgariter recenseant, nolumus tamen de eo contendere acriter, quod pleraque Romulæ historiæ momenta & mutuis Autorum contradictionibus exposita sint, & incredibile illæ rerum circumstantiæ recensio omnem falsitatis suspectam reddant, vel uti denuò *Livius* loquitur; poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis tradantur. Sive igitur Saturnus primus Italiam gubernarit, quod *Constantio* & *Juliano* æqualis, *Sextus Aurelius Victor*, in Libello de origine gentis Romanæ, (quem tamen antiquo illi *Aurelio Victori* rectè tribui, *Clarissimus Vossius*

L. VI. ab init.

L. I. Histor.

De Histor.
Lat. l. 2. c. 8.

Vossius dubitat) voluit his verbis: Primus in Italiam creditur
venisse Saturnus, & Virgilius cecinit:

L. VIII. *Æn.*
neid.

Hæc nemora indigena Fauni Nymphæq; tenebant,

Gensq; virum truncis & duro robore nata:

Queis neq; mos, neq; cultus erat: nec jungere tauros

Aut componere opes norant, aut parcere parto,

Sed rami atq; asper victu venatus alebat.

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo;

Arma Jovis fugiens, & regnis exul ad emptis.

Is genus indocile ac dispersum montibus altis,

Composuit; legesq; dedit: Latiumq; vocari

Maluit; his quoniam latuisset tutus in oris.

Sive Æneas primum in Italia regnum constituerit, sive Ro-
mulus id fecerit, quod Jovem prædixisse Veneri iterum Ma-
ronis volunt versus: L. I. *Æn.*

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet

Mœnia; Romanosq; suo de nomine dicet.

Cana fides & Vesta, Remo cum fratre Quirinus

Jura dabunt.

Sive denique alius quis Imperatorem primum egerit, Regum
certè autoritas in Italia antiquissimis viguit temporibus,
quamvis nomina & numerum temporis edacitas consum-
serit.

§. 2. Exactis urbe Regibus & Tarquiniô Superbô,
Regum ultimô, in exilium missô, potestas in libertatis vin-
dices translata est, qui non Reges amplius, sed à consulendî
officio, CONSULES appellati sunt, nec perpetuum, sed an-
num gesserunt Magistratum, nec solitarii, sed conjuncti seu
bini fuerunt, ne, observante Florô, potestas solitudine vel
morâ corrumpetur. Atque hæc Consulium, uti & Regum
antea, autoritas, quamvis contemnenda minime fuerit, ut
plurimum tamen, ad partem tantum Italiæ se extendit. Pri-
ma etgo populi, postquam pro libertate pugnaverit, hæc fu-
it cura, ut ampliaret fines suos & Italiam omnem subjugaret,
quod non unius vel alterius quoque, sed ducentorum anno-
rum opus fuit, quemadmodum incrementa Imperii Romani L. I. c. 11.

designat Florus : Si quis populum Romanum , inquit , quasi ho-
minem consideret , totamq; ejus aetatem percenseat , ut coeperit , at-
que adoleverit , ut quasi ad quendam juventutem florem pervenerit ,
ut postea velat consenuerit , quatuor gradus , processusq; ejus inve-
niet. Prima aetas sub Regibus fuit , prope ducentos quinquaginta
per annos , quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis lucta-
tus est. Haec erit ejus infantia. Sequens à Bruto Collatinoq; con-
sulibus , in Appium Claudium , Quintum Fulvium Consules , du-
centos annos patet , quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus viris ,
armisq; incitatissimum , ideo quis adolescentiam dixerit. Dehinc ad
Caesarem Augustum ducenti quinquaginta anni , quibus totum or-
bem pacavit. Hic jam ipsa juventutis Imperii & quasi quaedam ro-
busta maturitas. A Caesare Augusto in seculum nostrum , haud mul-
to minus anni ducenti , quibus inertia Caesarum quasi consenuit , atq;
decoxit , nisi quod sub Trajano Principe movet lacertos ; & praeter
spem omnium , senectus Imperii , quasi redditam juventute revi-
rescit.

§. 3. Ex hoc igitur Flori testimonio , cui alia adjungi
possent facile , si id necessarium videretur , perspicue patet ,
circa annum Per. Jul. 4450. Mundi 3686. Ante Christum 262.
quo par illud Consulatum , quod nominat Florus , Magistratum
gessit , eos civitates , in quibus post aliquot secula Exarcha-
tus institutus est , populo Romano jam paruisse , quarum in-
colae inter Bojos , Graecos , Umbrosque & finitimos alios re-
censebantur ; Bojorum enim BONONIAM , Graecorum , Um-
brorumque RAVENNAM fuisse , quae duo maxime memora-
bilia Exarchatus oppida celebrantur , gemino antiquorum
scriptorum testimonio probabimus. Alter , de Bononia , lo-
cus , quae Felsina , Tusco nomine , vocabatur antiquitus , extat
penes Livium : L. Furius Purpureo alter Consul per tribum Sappi-
niam in Bojos venit. Jam castro Mutilo appropinquabat , cum ve-
ritus , ne intercluderetur simul à Bojis Liguribusq; , eadem via , qua
adduxerat , reduxit , & magno circuitu per aperta , eaq; tuta loca
ad Collegam pervenit. Dein junctis exercitibus primum Bojorum
agrum , usq; ad Felsinam oppidum populantes peragraverunt. Ea
urbs ceteraq; castella , & Boji ferè omnes , praeter juventutem , quae
pre-

L. XXXIII.

predandi causa in armis erat, (tunc in devias silvas recesserat.) in
 deditioem venerunt. Alter, de Ravennae priscis incolis, extat
 penes Strabonem: Καὶ ἡ ραουέννα ἢ Θεσσαλῶν λέγεται κτίσμα.
 Οὐ Φέροντες ἢ καὶ τῶν Τυρρηνῶν ὑβρῆς ἐδέξατο ἐκόντες τῶν Οὐ-
 βέλων Ἰνῶς, οἱ δὲ οὖν ἔχουσι τὴν πόλιν. Fertur etiam Ravennam
 à Thessalis fuisse conditam, qui cum Tyrrhenorum injurias non fer-
 rent, ulterò in urbem admissis Umbrorum quibusdam, qui urbem
 etiamnum tenent, domum reverterint.

L. V. Geogr.

§. 4. Ab Appii Claudii & Quinti Fulvii consulatu, Flor. L. 3.
 quamvis variis mutationibus & seditionibus domesticis, c. 3.
 nimia peperit felicitas, Romanorum Imperium obnoxium
 fuerit, non multum distita tamen ab urbe loca à peregrino
 hoste occupata non sunt, & ita cum Imperii fascibus universa
 Italia ad Julium Caesarem tandem pervenit, à quo eadem ad
 Augustum, ab Augusto ad Tiberium, ab hoc ad successores
 reliquos transit, ad Constantium Magnum usque, qui extin-
 ctis partim, partim devictis Diocletianò, Maximianò, Ga-
 leriò Maximinò, Valeriò Maximinò, Severò, Maxentiò Ale-
 xandrò denique & Liciniò, sub Caesarea potestatis schemate,
 tyrannicè pleraque agentibus, orbis terrarum Imperium so-
 lus cepit, & ita Italiae Dominum non tantum, sed Regem
 mundi potentissimum, atque Monarcham egit, cujus impe-
 rium quam latè patuerit, Laudum Optimi Imperatoris non
 instrenuus præco Eusebius, institutâ Constantinum inter & A-
 lexandrum comparatione, prolixè docet, & digna recensio-
 ne Historici hujus animadversio est: Οὐδ' ἡμέτερος Βασιλεὺς
 ἐξ ἐκείνου μὲν ἤρχετο, ἐξ ἧπερ ὁ μακεδὼν ἐπελάτῃ. Ἐδιπλασία-
 ζε ἢ τὸ χροῖον τὸ ἐκείνου ζῶν. Τετραστάσιον δ' ἐποίησε τὴν βασιλεί-
 ας τὸ μῆκος, ἡμέραις γὰρ τὰς ἑσπερῆς τε Σεβείας τὸ θαλάσσιον
 οὐ τὸν αὐτὸ Φορξάμην στρατὸν, ἐπέλαθε μὲν τὴν Βρετανῶν ἔτις
 ἐν αὐτῷ οὐκ ἔλασ ἀκεανῶ τῷ κτ' δύνοντ' ἥλιον. περὶ οὐρανῶν, τὸ, τὸ
 σκυθικὸν ἐπιγάγει πῦρ, ἵνα αὐτῇ ἀρετῶν μυριοις βαρβάρων
 ἐξαλλάτῃσι, ἡμετέρας τε κτενόμενον. Ἦδη ἢ ἡμετέρας ἐπ' ἕχα-
 τα τὴν ἀρχὴν ἐκείνας εἰς αὐτὰς βλαμμύασι τε ἔαιθροισι, εἰς τὸ
 πρὸς ἀνίχοντα ἥλιον ἀλλοτριῶν ἐποίησε τὴν κτίσιν. Ἐπ' αὐτῇ ἢ
 τὰ τ' οὐκ ἐμνήσθη ὅλης τέρμασι γινώσκων, μέχρι τῶν ἐξωπατῶ τῶν πε-
 κύκλω.

Flor. L. 3.

c. 3.

L. 1. c. 4. de
 V. C.

de 1. 1. 1
 de 1. 1. 1
 de 1. 1. 1
 de 1. 1. 1

κύκλω φειοίκων τὸ πάντως τὴ γῆς τῶ βίω σοιχείς φωτὸς Ὀρεβεί-
ας ἀκτιῶν ἐκλαίμπων εἶχεν ὠσηκόως τοπαίνας, ἐθνάεχας, συ-
τράπας. At noster hic Imperator eō etatis tempore regnum obti-
nuit, quo ille Macedo cessit è vita. Illius autem vite spatium tem-
poris propagatione duplicavit; regniq; longitudinem triplo reddi-
dit majorem. Porro autem cum mansuetis & modestis pietatis
præceptis exercitum munivisset, in Britanniam, & eos, qui
fluctibus Oceani solis occasum suis quasi oris terminantis, undiq;
circundati habitant, invasit. Scythiam quoq; universam sub ipso
Septentrione, in infinita barbarorum hominum genera, moribus
& vite ratione disparia partitam, ad suum adjunxit Imperium.
Jam verò fines Imperii ad meridiei extremitates, ad Blemmias
nimirum & Æthiopes usq; dilatavit, atq; eos præterea qui versus
solis ortum incolebant, in suam ditionem & potestatem
redegit. Principes item variorum, gentiumq; dominos & Satra-
pas, ad ipsos usq; totius orbis terminos, hoc est; ad Indos, ulti-
mos totius terræ accolas diffusos, luce ac splendore pietatis illumi-
nans, suo imperio reddidit obsequentes.

L. 1. c. XXXV.
de V. C.

L. 2. c. 26.
de V. C.

L. 4. c. 18.
de V. C.

§. 5. Quamvis autem negari nequeat, liberalitatem
Augustissimi Principis, etgā sinceros orthodoxæ fidei docto-
res, inusitatam propemodum fuisse; Scimus enim uti magni-
ficentiam Constantini commendavit Eusebius, Ecclesiis, inquit,
copiosa suppeditavit subsidia, templa in sublime erecta, ex-
adificataq; adauxit, plurimis monumentis augusta Eccle-
siae Sacraria illustravit, variâ pecuniarum largitione egentium in-
opiam sublevavit. Scimus uti Ecclesiarum gazophylacia ea im-
primis locupletavit sanctio, cujus rubrica penes Eusebium hæc
est: Quibus de sanguine nemo superfuerat, iis Ecclesia instituta
est hæres. Si quid tamen hi vivi cuiquam dedissent, ratum id fir-
mumq; permaneret. Scimus, quid denuo Eusebius testatus
sit: Ταῖς δ' ἐκκλησίαις τῆ Θεῆ καθ' ὑπερβολὴν ἐξείριστον πλεῖστον
ὅσα παρεῖχεν, ὡς μὲν ἀγρῶν, ἀλλὰ καὶ τῆ σιτοδοσίας, ὅτι χορη-
γία πενήτων ἀνδρῶν, παίδων τ' ὀρφανῶν καὶ γυναικῶν οἰκτερῶν δω-
ρεῶν. Ecclesias verò DEI incredibile est, & supra omnem
opinionem, quot ornamentis locupletaverit; cum aliis agros, aliis
annuatim, ad pauperes, orphanos, miserâq; mulieres tuendas
& alon-

Et alendas donaret; Nullibi tamen in probata fidei annalibus reperire potuimus ullum ejus donationis vestigium, cujus insulsus mendaciorum artifex & autor Paleæ, Constantinus Dist. XCVI. meminit; ut Pontificalis apex non vilescat, fabulatur Impostor, sed magis quam terreni Imperij dignitas, gloria & potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prædictum est, quam Romanam urbem, & omnes Italiae, seu Occidentalium regionum provincias, loca & civitates, præfato beatissimo Pontifici nostro Silvestro universali Papæ contradicimus atq; relinquimus: Et ab eo, & à successoribus ejus per hanc divalem nostram, & pragmaticam constitutionem decernimus disponenda, atq; juri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permansura. Unde congruum perspeximus, nostrum Imperium & regni potestatem in Orientalibus transferri regionibus, & in Bizantiæ provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium, quoniam ubi principatus Sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc vero omnia, quæ per hanc nostram Sacram & per alia divalia decreta statuimus, atq; confirmavimus, usq; in finem mundi illibata & inconcussa permanere decernimus &c. Hætenus paleæ textus. Edictum integrum Clarissimus Boxbornius exhibet. Enimverò commentitium hoc esse, & auctorem nihil, nisi vacuò, ut ille loquitur, mendacia folle spirare, non Eusebii tantum silentium, & aliorum coætaneorum Cæsaris, vel qui alii rerum tunc gestarum memoriam scriptis suis ab interitu vindicarunt, satis probat, sed ex eo imprimis fabulatoris innotescit futilitas, quod ne quidem unicum illud Consulum par combinare potuerit; dicitur enim factum, datumq; Edictum Romæ, FLAVIO CONSTANTINO AUGUSTO QUARTUM ET GAL-LICANO, CLARISSIMIS VIRIS CONSULIBUS; At ostendi facile posset, collegium eorum consulum nunquam Romæ fuisse, nisi argumentum hoc jam occupasset laudatus antea à nobis Boxbornius. Quid multis? Imperatorem morti vicinum ditiones suas inter filios distribuisse, testes sunt Eusebius, Socrates, Nicephorus & innumeri alii. Et tantum

B

abfuit,

*Histor. univ.
p. 275.*

*Lib. 4. c. 51.
de V. e. &c.*

*Euseb. Lib. 4.
c. 69.*

*Camer. Hor.
Subc. Cent. 1.
c. 61.*

Lib. 2, cap. 3.

Euseb. Lib. 2, cap. 3.

abfuit, quo minus urbem Romanam Pontifici cesserit Constantinus, ut eam ejus temporis Scriptores *πρὸ βασιλίδας πύλιον*, etiam post mortem Constantini vocarint. Argumenta alia, quæ subsequens suppeditabit recensionis nostræ pars, lubens taceo, allegatō tantum falsō illo Venetorum responsō; Pontifici enim ē Venetis quærenti; Quō jure vectigalia & alias jurisdictiones in mari Adriatico sibi solis vendicarent, cum tamen nulla privilegia hac de re monstrare, nec jus suum docere legitimè possent? respondisse dicuntur Venetorum Legati: Se mirari, quod illa privilegia peterent demonstrari, quæ Pontifices ipsi penes se jam pridem & quidem *δεχέστυπα*, tanquam rem Sacram diligentissimè in suis archivis custodirent, eaq; facile reperiri posse, si Donationis Constantini membranæ pars exterior, in qua eadem majusculis literis conscripta essent, accuratius inspiceretur.

§. 6. Misâ igitur de Dominio Urbis & totius Italiæ, ad Pontificis Romanos tunc translato, fabula, è genuina historia illud scimus, Constantinum Byzantium ædificasse, non quod Pontifici sedem regiam donasset, nec quod populo Romano, ob frequentissima scelera, exosus esset, omniumq; execrationes ferre non potuerit amplius, uti *Zosimus*, nominè Christiano infestus, & Juliano addictus, finxit, sed ut posteritati relinqueret *νεοπαγῆ χριστῆ πόλιν καὶ ὁμῶνυμον ἑαυτῶν*, urbem, in Christi honorem extructam, & de suo nomine appellatam, uti *Sozomenus* loquitur; Imperium autem inter tres filios, quos reliquerat ita divisisse, ut Constantinus natu major, quem decimō Imperii sui annō parens adsciverat, cuncta trans Alpes, avitam ditionem, obtinuerit. Constantio, inter fratres medio, quem anno vicesimo Imperii adsciverat, à freto Propontidis Asia atq; Oriens cesserint. Constanti deniq; natu minimo, ascito à patre annō Imperii tricesimō, Illyricum, Italia, Africa, Dalmatia, Thracia, Macedonia & Achaia obtigerint. Quæ autem Pontificis in testamento Cæsaris fuerint partes, altissimum penes Scriptores silentium est, adeò quidem, ut nec *Cardinalis Baronius*, thesauri Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, (si Diis placet) diligentissimus Scrutator atq; vindex,

dex, & qui alias, absolutioni Pontificis confusus, e rimen falsi
tanti non aestimavit, si modo curiæ (Ecclesiæ inquam) Roma-
næ id proficuum esset, tabulas omninò nullas, de Pontificis
sorte, ne laceras quidem invenire potuerit, imò Successores
suos, Pontificum parasitis, ab ulteriori, in Bibliotheca Varica-
na, Scrutinio absterruerit scribens: *Turpe plane est, atq; admo-
dum indignum, acceptum ferre mortali, quod ab ipso DEO & Do-
mino nostro Jesu Christo constat eidem in Petro esse collatum.*

*Annal. tom. 3.
ann. Chr. 324.
n. 119.*

§. 7. Reddita illa, per Constantinum M. universo orbi
& imprimis Italiæ pax diu non duravit; Nam post mortem
Parentis Constantinus Junior, sorte suâ non contentus, in
fines Imperii Constantis fratris irruptionem fecit & Italiam
signis adversis seu hostilibus ingressus est. Dum igitur latro-
cinii specie incautus, fœdeq; temulentus, uti *Freculphus Epi-
scopus Lexoviensis* loquitur, in aliena irruit Constantinus, à
Ducibus Constantis obtruncatus est, projectusq; in fluvium,
cui nomen Alsa est, non longe ab Aquileja. Vid. *Socrates.*

*Chronic. l. 2.
L. 4. c. 1.*

*Lib. 2. Histor.
Eccles. c. 3.*

§. 8. Fratrum de Italia & Africa dissidium excepit per-
nitiosa Magnentii seditio, cujus insidiis postquam Constans in
Gallia interfectus est, totam Italiam cum Africa & Libya Ty-
rannus occupavit. Quam funesta tunc Italiæ fuerit facies,
colligere in facili est; Omnia enim, & imprimis Romam
ipsam, cædibus primorum populi, fœdaverat tyrannus, cujus
crudelitas tanta fuit, ut superatus à Constantii milite apud
Mursam & denuò apud Multo Seleucum in Gallia, primò ma-
trem, dein fratrem, post seipsum Lugduni, quo confugerat,
interfecerit.

*Spzom. L. 4.
c. 1. seq.
Soor. Lib. 2.
c. 20. seq.*

§. 9. Omnes ab eo tempore, quo Constantini defecit
familia, obortos in Italia motus recensere & prolixo operis
foret negotium & nostro instituto, qui brevitati studemus,
non satis conveniens. Prolixam quidem hanc esse historiam
perspicuè patet; Nam quot à Juliani tyrannide elapsi sunt
anni, tot propemodum, & plures adhuc, in Occidentis par-
tibus acciderunt clades, Romanò Imperio à ferrea, quâ pol-
lebat, firmitate, in testaceam fragilitatem declinante. Nunc
enim Rhadagaisus, nunc Stilico, nunc Alaricus, nunc Attila,

B 2

MOX

Lib. IX, c. IX.

Hist. Eccl. Lib.
IV. c. 17.
L. VII. de B. J.
c. XVII.

Chron. part.
XVI. in desc.
Serm. L 3. c. 2.

Lib. 2. c. 16.
Epit. Histor.
p. 391.
Chron. tom. 2.
L. 5. c. 17.

mox alii Tyranni nobilissimas regiones vastabantur, nec ab ipsa antiqua Imperatorum regia & orbis Domina abstinebant, quam Alaricus, Gothorum Rex, proditione captam, scedè diripuit, veluti *Sozomen.* urbis excidium describit: *Τοῖς αὐτῶν πλήθεσιν ἐπέτρεψεν ἐκάστῳ τῶν Ῥωμαίων πλῆτον ἀρπάξεν, ὡς ἀνδύωαιτο, καὶ πάντα τὰς οἰκίας ληΐζεσθαι, ἀσυλον εἶναι πρὸς τὰς αἰδοῖ τῆ πρὸς τὸ δόξολον πέτρων τὴν περὶ τὴν αὐτῶν σφῆν ἐκκλησίαν μεγάλην τὴν καὶ παλαιὰν χωρὸν περιέχουσαν &c.* Militibus suis universis ac singulis permisit Romanorum opes diripere, utcunq; possent, omnesq; domos eorum depredari, nisi quod asyllum esse voluerit Apostoli Petri templum illud amplissimum, quod supra ipsius tumbam constructum est, & loci plurimum ambit, &c. Accidit miseranda clades Annò Christi 410. Eandem sortem experta est civitas Genserici Vandalorum Ducis temporibus, qui accersitus ab Eudoxia Romam occupavit non tantum & diripuit, sed incendit quoq; abductis, *Evagriò* teste, *κειμηλίαις*, quæ Titus filius Vespasiani, Hierosolymis subactis, Romam deportaverat, quorum catalogus penes *Josephum* extat.

§. 10. Atq; ex his & similibus Italiae fatibus, quæ rerum facies ibi fuerit, colligere in facili est, quam calamitatem ad summum complevit Herculorum Rex Odoacer, non Rutenus, uti *Gotfridus Viterbiensis* scribit, sed è *Rugia*, insula Oceani à *Tacito* appellata, oriundus, uti cum *Irenico* sentit *Sleidanus*; Hic seditionibus & bellis conquassatam Italiam tandem occupavit, coactò Imperatorum Occidentis ultimò, *Romyllò*, cognomento *Augustulò*, ut se abdicaret regno. Atq; ita desit Occidentalis Imperii gloria, in *Romyllo*, vel uti alii legunt, *Momyllo*, quam fundaverat *Romulus*. Abrogata est augusta dignitas, in *Augustulo*, ob staturæ brevitatem non sine omine sic appellatò, quæ in *Augusto* cœperat, annò post regnum *Romuli* 1300. uti *Evagrius* scribit, *Augustorum* autem *DXXII.* uti *Johannes Cluverus* & ante hunc *Freculphus*, adverterunt.

§. 11. Miserrimæ hujus Italorum cladis quæ fuerit causa, pristinum eorum statum perpendenti obscurum esse nequit;
Summa

Summa scilicet Imperatorum & populi erga DEUM ingrati-
do vindicanda erat, Arianis enim, Pelagianis & similibus hæ-
reticis aures commodaverant hætenus, atq; iram DEI multi-
pliciter provocaverant. Et reperti tamen sunt, qui omni-
moda percussæ cœcitate, ob idolorum ueglectum se acerba
pati, fuerunt persasi. Ita enim *Augustinus* in secundo Retra-
ctationum Libro: *Interea Roma, inquit, Gothorum irruptione,*
agentium sub rege Alarico, atq; impetu magnæ cladis, eversa est:
Cujus eversionem deorum falsorum, mutorumq; cultores, quos usi-
tatò nomine Paganos vocamus, in Christianam religionem referre
conantes, solitò acerbius & amarius, DEUM verum blasphemare
cœperunt. Unde ego exardescens Zelò domus DEI, adversus eo-
rum blasphemias, vel errores, libros de Civitate DEI scribere con-
stitui &c. In viginti igitur & duobus Libris vesanam Gentilium
adversus Christianos censuram perstringit Augustinus, & ut
Deos suos accusent de tantis malis, qui nostro Christo ingrati
sunt de tantis bonis, hortatur. Quibus addendum illud est,
quod *Paulus Orosius* observavit: innotuisse hæc, Italis qui-
dem acerba ratione, fidem Christianam inter gentes, eas-
demq; agnitionem veritatis accepisse, quam (uti ipse loquitur)
invenire utique, nisi hæc occasione, non potuissent. Vid.
Sozomenus.

§. 12. Non desunt tamen hujus corruptionis politicae insuper
rationes; Negligentes enim in defendendis Subditis & nonnū-
quã intempestivè magis, quã prudenter Severos fuisse Impera-
tores, eorum temporum historiam callentem latere nequit. Ita
in Honorio utrumque taxatur vitium; nam Alarico, quem
sciebat copiis suis prævalere, non iniqua prorsus petenti &
pacem ultrò offerenti, inexorabilem se exhibuit. At quan-
do ad Arma ventum erat, potiozem gallinæ, quam civitatis
regiæ, curam egit. Refert enim *Johannes Zonaras*, captâ ab
Alarico urbe, quendam oppletum lacrymis nunciassè, Ro-
mam ab hoste occupatam. Ad eum nuncium consternatum,
convulsò corpore, & fœmora manibus ferientem, dixisse Ho-
norium: *Roma modo hæc fuit, quomodo igitur capta est? Habe-*
ba tenim in deliciis gallinam prægrandem, nomine Romam,

L. 3. de C. D.

t. 31.

L. VII. c.

XXVIII.

L. IX. c. VI.

Annal. tom. 3.

E. IX. c. XVI.

de Comitibus I.
c. 4.

de qua putabat, nuncium locutum esse. Atque ita gravissimi periculi, quod imminebat veteri Imperatorum sedi, omnino ignarus erat, ut non sine causa hanc recordiam in Honorio culpent historici, etsi *Sozomenus* à pietate eum commendet.

§. 13. Cæterùm altius mali causam *Onuphrius Panvini-*
us, repetit, is enim Constantinum ipsum accusat; Hoc unum,
inquit, nescio, quam benè fecerit Constantinus, quod præ-
cipua imperii sustentacula, limites videlicet Romani orbis,
qui ab Augusto super Rhenum & Danubium, XV. Legionum
præsidio additò, providentissimè firmati fuerant, translatis in
Orientem exercitibus, substulit: quorum locò castella, mu-
nitiones quasdam condens, debilibus admodum præsiidiis
eas ripas munitas reliquit, quæ per tot annos egregiâ Roma-
norum militum virtute, ab immanissimis barbaris defensæ fu-
erant. Ex qua re Occidentalis Imperii primò, mox etiam
Orientalis ruina manavit. Orientale enim Imperium, quia
fortioribus præsiidiis munitum, & à minoris roboris barbaris
invasum fuit, diutius mansit. Imperium verò Occidentis
Romanum, XV. ad minus, fortissimis legionibus spoliatum,
quibus ad ea usque tempora conservatum fuerat, atque à va-
lentissimis barbarorum, Gothorum, Alanorum, Burgundi-
onum & Francorum copiis invasum, quum qui coerceret eo-
rum impressiones, nullus amplius esset exercitus, quamprimum
corruit & in barbarorum potestatem devenit. Vandali enim
Africam, Franci & Burgundiones Gallias; Saxones, Angli, Picti,
& Scoti, Britanniam, Hunni, Gepidæ & Longobardi, Germaniam,
Ostrogothi & Alani Hispanias, Heruli & Visigothi Italianam,
cum urbe ipsâ, olim rerum Domina; brevissimò temporis intervallò,
pulsis, qui remanserant, Romani Occidentalis Imperii debilibus
præsiidiis occuparunt: qui omnes barbari Septentrionales fuerunt,
iis potissimum ripis egressi, quas tantò studio, XV. fortissimis
Legionibus, ad Imperii tutelam, contra eorundem barbarorum
incurSIONES, diu ante Augustus prudentissimus princeps & ad æterni-
tatem Romani nominis natus, munitas: Constantinus de-
mum,

mum, abductis, quò res suas in Oriente firmaret, Legionibus spoliavit. Barbari enim, quos omnino stravisse Constantinus existimaverat, haud diu post ejus obitum, fluviorum ripis trajectis, nullo negotio, oppida & castella, tenuioribus praesidiis munita, quæ utriusque ripis Constantinus extruxerat, expugnantes, Romanas provincias & imperium ipsum, primò miserè devastarunt, & postremò Italiâ captâ & Imperatoribus exactis, brevi præclarissima omnium urbs, Roma, Imperii paulo ante domicilium, festissimorum barbarorum mancipium facta fuit.

§. 14. Quæcunque tandem Interitus Occidentalis Imperii fuerint causæ, nec Odoacer priscos Dominos ejecit impunè. Postquam enim aliquot annos in Italia regnaverat, Theodoricus Gothorum Rex eum denuo ejecit, Zenonis consensu, ductò in Italiam exercit. Alloquium Theodorici ad Zenonem refert *Freculphus*, è quo Gothici Regis animus, si modo genuina ea oratio est, unâ innotescit: *Hesperia*, inquit, *plaga quæ dudum decessorum, prædecessorumq; vestrorum regimine gubernata est, & urbs illa, caput orbis & domina, quare nunc sub Regis Torcilingorum Rugorumq; tyrannide fluctuat? Dirige me cum gente mea, si præcipis, ut & hic expensarum pondere careas, & ibi si adjutus à Domino vicero, fama vestrae pietatis irradietur. Expediit namq; ut ego, qui sum servus vester & filius, si vicero, vobis donantibus regnum illud possideam, quam ut ille hostis, tyrannicò jugo, Senatum Vestrum, partemq; Reipublicæ, captivitatis servitiò premat. Ego enim si vicero, vestro donò, vestroq; munere possidebo: Si victus fuero, vestra pietas nihil amittit, imò, ut diximus, lucratur expensas.* Hactenus Theodoricus ad Zenonem verba faciens.

§. 15. Theodoricus igitur consentiente Zenone, Italiam cum omni Gothorum gente ingressus, postquam semel atque iterum Odoacri fuderat copias, & Ravennam, Regum Italiae, ab Honorii temporibus, sedem, triennio obsederat, captâ urbe, & Odoacrò paulo post ex insidiis fraudulenter, uti *Procopius* loquitur occisò, Regis, Italiae, cum novo & regio amictu, atq; id consensu Imperatoris, assumpsit titulum, & cum

deser-

Chron. L. V. c. XVIII.

Jonar. 1. 3.

L. 1, B. Gothici

L. 1, B. Goth.

in Chron. S. de
Conf.

E. 4. Hist. Eccl.
c. XXIII.
de Bell. Goth.
L. 1.

desertas ac desolatas provincias nullâ feliciter, quam pace, restitui in integrum posse animadverteret, eandem cum omnibus vicinis regibus sibi conciliavit, & è prudenti Reipublicæ gubernatione egregiam laudem meruit consiliariis usus præstantissimis, Boethiò, quem tamen postea, una cum genero suo Symmacho, gladiò obtruncavit, & primum id injustitiæ, censente Procopiò, & ultimum in suos iccirco exercuit exemplum; quia non suò & pristinò more, diligenter pervestigatâ causâ, in tantos viros animadverterat,) & Cassiodorò, Consule & Senatore primùm, post Monachò, ut *Jornandes* scribit. Accidit Odoacri clades Albino Consule, quemadmodum *Aurelius Cassiodorus* annotavit, id est annò Christi 493.

§. 16. Post Theodoricum Athalaricus, Theodatus, Vitiges, Theopaldus, Alaricus, Totilas & Tejas in Italia regnarunt. Sed Theodati temporibus Justinianus Imperator ob nefariam necem. Amalafunthæ, à Theodato perpetratam, indignum ratus à Barbaris nobilissimam Imperii partem diutius possideri, animum ad recuperandam Italiam adjecit, & processit feliciter res, sub Belisario & Narsete fortissimis Justiniani ducibus, quamvis stabilis non esset victoria; Nam anno 538. Romam quidem occupavit Belisarius, & bienniò post obsessam à Vitigeliberavit; Annò autem 547. eam Totilas recepit, quam sequente anno recuperavit Belisarius, quò ex Italia vocatò, Totilas, annò 550 urbem denuo cepit. Narsesigitur, victis Totilâ & Tejà non ex urbe tantum, sed universa Italia Gothos fugavit, indicato divinitus tempore,

ὅτε πολέμειν ὄσοι, quò prælium committendum esset, uti *Evagrius* refert. Gesta sunt hæc omnia, Agathiò teste, ad annum usque XXVI. Imperii Justiniani, cum quo tamen Calvisio non convenit, qui Narsetis de Teja victoriam ad annum Justiniani viceßimum octavum, à Kalendis Augusti ineuntem, Christi vero 554. recenset.

§. 17. Atque ita Exarchatus civitates cum universa Italia ad Imperium Romanum redierunt, & bellum Gothicum, per multos annos, Justiniani jussu & auctoritate gestum, finitum est. Cœterùm an rectè egerit Imperator, Italiam Go-

this

this
tium
mu
me
und
om
sive
ni f
Eru
pila
qu
inqu
fuer
num
pera
Itali
lissim
tudi
nis e
vant
men
inju
oeta
mife
Itali
acce
civi
toti
Ita
pse n
tis a
olim
que
tific
diffi
taxa



thiſ eripiendò, eò bellò, quod nobiliſſimis provinciis exitium attulit, definire perquam difficile eſt, nec hiftorici munus. Autor *ἀνενδοῦτος*, qui *Procopii Caſarienſis* nomen præ ſe fert, acerrimè quidem inſectatur *Juſtinianam*, eundemque accuſat, quod perjurus fuerit, rapinis bellisque omnia foedarit. Sed vindicavit adverſus inſectationem hanc, ſive *Procopii*, ſive *Alemanni*, ſive alterius cujuſdam, *Juſtiniani* famam *Clariff. Dn. Eichelius Amicus noſter honoratiſſimus*, in Eruditiffimis ad *Hiſtoriam arcanam* notis, cujus nolumus expilare ſcriinia. Hoc unum addimus, *Onuphrium Panvini*, quoque improbare *Gothicum Juſtiniani bellum*; *Incredibili*, inquit, *Gothorum virtute*, quum longò temporis ſpaciò, quò in Italia fuerunt, jam mores *Italicos* imbibiffent & ſapientia, urbs ipſa, priſtinum Imperii decus recuperare poſſe videbatur, ſi per *Juſtinianum Imperatorem* licuiſſet: qui adeò egregie, prudenter & per humanè res *Italicas* moderati ſunt, ut eorum Imperium non barbarorum, ſed nobiliſſimorum civium videretur. Romanas enim literas, mores & conſuetudines adeò hauſerunt, ut nihil inter eos & Romanos ipſos discriminis eſſe appareret. Belli quoque & pacis artibus clariffimi evaſerant, ut cum antiquis bonis Imperatoribus conferri poſſent, quæ tamen omnia ipſis parum valuerunt. A *Juſtiniano* enim Imperatore injuſtè admodum bellò petiti, tanquam Imperii invaſores, decimò octavo annò tandem, non ſine maximis totius orbis & præſertim miſeræ *Italiae* cladibus per *Juſtiniani Duces*, *Belifarum* & *Narſim*, *Italiã* omni penitus exacti ſunt. Quæ ſtatim *Orientis imperio* acceſſit. Quæ res omnium malorum, diſſenſionum, diſcordiarum civilium, inſteſtinorumq; bellorum, quibus poſteà infelix *Italia* toties & per tot annos vexata fuit, maximam attulit occaſionem; Ita ut præclare admodum nobiſcum actum fuiſſet, ſi id *Juſtinianus* ipſe nunquam attentaffet. *Gothis* exactis & *Italiã* Imperio *Orientis* adjunctã, proprium Imperatorem vel Regem habere deſiit, quæ olim Imperium ipſum pepererat: atq; ad eas provincias tranſiit, quæ à Romanis ipſis victæ fuerant. Ita *Onuphrius*, more *Pontificiis* *Scriptoribus* ſolemni, *Juſtinianum* perſtringit. Adeò difficile eſt è principatu laudem acquirere, cum pax ignaviam taxandi principis, bella, crudelitatem ejus deteſtandi, diver-

de Comit. Imp.
L. 4. C. 4.

C

ſiffimè

missimè affectis censoribus, occasionem suppeditent, sed excelsus animus & recti conscius sibi despiciat calumnias, quas evitare non potest.

§. 18. Cæterùm Pacem, quæ Italiæ bellò Gothicò consecrò, videbatur reddita, mox interturbavit stolidum mulieris cuiusdam convicium. Narses enim Eunuchus, è chartulario & cubiculario Justiniani, belli dux factus, strenuè hætenus in Italià egerat, cum vero pecunias, fisco & pacto, solvendas, milites erogaret, neque ordinarius ab illo reditus non tantum non mitteretur, sed è contra: id se potius illinc pecunias sibi missum iri sperare significaret, quippe cum reditus omnes bellis ingruentibus impendisset; Irà Imperatrix accensa fuscum ei & colum misit cum literis, quibus scribebat: Ὅλη λάβε ταῦτα, ἀ καὶ ἀρεμότη σοι. νήθειν σε γδ μάλλον ἐπεὶ ναυὰ δίκαιον, ἢ μὲ ὄπλων ὡς ἀνδρα διεκδικεῖν Ῥωμαίων. Accipe hæc, quæ tibi conveniunt; Nere enim Te æquius iudicavimus, quam armis tanquam virum uti, ac pro Romanis pugnare. Quibus intellectis Narses patricius rescripsit ad Reginam: ὅτι ἐπεὶ οὕτω πδρ ὑμῖν ἐνομιόθη νήθειν ἢ κλώθειν κατὰ πρὸ γυνή, κλώσαι ἔχω νήματα μὲ τὰ τεράκτα καὶ ἡλακότης, ἵνα μέγεις ἀν ζῶσιν οἱ Ῥωμαῖοι μὴ δηννηθῶσιν ἐξυφάνασιν ταῦτα. Postquam nere me rectius & filium torquere videtur tibi, veluti fæminam, telam me ordiri nosse scias, quam nunquam Romani detexant. Imprudentissimum hoc dictum, tot & tantarum, quæ & deinceps secutæ sunt, calamitatum causam, Constantinus Porphyrogenneta Imperatrici Irene tribuit manifestò errore, & confusione CC. circiter annorum. Irene enim non Justiniani minoris sed Caroli M. floruit temporibus, Constantini VII. Imperatoris mater. Sophiam autem tunc Augustam fuisse, si non aliunde, certè ex inscriptione templi amplissimi, quod Sophiæ dictum est, appareret, quamvis enim à Justiniano idem ædificatum esse Euagrius asserat; rectius tamen Justiniano minori magnificum opus tribuitur. Græ-

de Admin.
Imp. c. 27.

L. 4. c. XXX.

de Cesar. in
Justino Mi-
nore.

Set ubi terra duas in partes accipit errans,
Littora ad illis fluctibus acta fretum.

Aurea

Aurea regina posuit prætoria Divus

Rex, Sophia uxori consiliis vegeta.

Magnipotens ô Roma tuis pro mœnibus altum

Europa decus hoc prospicit ipsam Asiam.

§. 19. Evocatis igitur è Pannonia Longobardis, injuriam sibi illatam ultus est Narses; Missis scilicet ad eos omne genus fructibus, invitavit illos, ut occuparent terram *ῥέγονα κατὰ τὸ εἰρημύρον, μέλι καὶ γαλακτὸς, ὡς οἶμα, ὃ θεὸς κρείττονα σὺν ἔχει*, melle & lacte juxta vetus proverbium abundantem. Paruerunt Longobardi & maximam Italiæ partem subjugarunt, à novis regionum incolis Lombardiam appellatam & urbium splendore, agrorumq; cultû latissimam, quippe quæ Ducatum Mediolanensem Mantuanum & Venetorum ditio- nem trans padum, cis padum autem Parmensis, Mutinensis & Montis Ferratensis ditionis loca comprehenderit, uti Geographi Lombardiæ fines designare solent.

§. 20. In hac improvisa calamitate, ut quadantenus rebus suis consulere Justinus, Legatum quemdam seu vicarium in Italiam ablegavit, qui Exarchi gerebat titulum, atq; ita Exarchatus nomine civitates Italiæ, Imperatori Constantinopolitano fideles, postea venerunt. Exarchi quidem vox Græcis Scriptoribus jam antea inusitatum non fuit; Nam *Plutarchus* in *Numa* ἔξαρχον τῶν ἱερῶν nominat, & conjugatis vocibus, quamvis in alia significatione frequenter usi sunt Græci. *Ἐξάρχοντες* enim *Suidæ* sunt ἄδοντες, οἱ δὲ τρώες μετὰ τοῦ βῆτος καὶ ἡδονῆς πικρῆνας ἔξάρχοντες. Propius ad eam, quæ hujus loci est, vocis significationem accedit Constantini explicatio; quam *Julius Cæsar Bulengerus* adducit: Ἐξάρχων τῶν βασιλικῶν τάγματι & καλεῖται ἔξαρχίτων, Eum, qui præflet cohorti excubitorum, Exarchonta s. Comitem vocatum notat. Vocabantur aliàs, qui sub Rege, seu principe, Magistratus sustinebant partes, ὑπαρχοί, quales *Euagrius* aliquoties nominat.

§. 21. Sedes Exarchorum non urbs ipsa sed Ravenna fuit, jam antea Honorius sibi elegerat, cujus Cæsarei consilii quæ fuerit causa, *Zonara* temporibus non satis cognitum fuit.

Nonnulli enim Honorium ideo Ravennam abiisse arbitrati sunt, quod ob vecordiam se Romanis magnatibus invisum esse, & insidiis appeti, animadvertisset; Alii, inverso ordine, Romanos odisse Honorium, quod Ravennam migravit, tradiderunt. Sic reliqui Occidentis Cæsares Ravennæ, quam Romæ sua figere tentoria, maluerunt; unde Regiæ civitatis nomen Ravenna nata est; Sive quod vetustissimis monumentis se delectarint, Reges, nam diu ante bellum Trojanum urbem à Pelasgis sive Thesialis conditam fuisse ferunt, quò sensu

de VI, Honor. Claudianus cecinit:

Cons.

Dixit, & antiqua muros egressa Ravenna,
Signa movet &c.

in vit. Aug.

c. 49.

Ep. ad Solita-
riam vitam an-
gentes.

Sive quod portus marini commoditas, Italiæ principes allegerit. Nam Augusti temporibus classem Romanam hostes Ravennæ expectasse è Svetonio liquet: *Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatis distribuit: classem Miseni, & alteram Ravennæ, ad tutelam superi & inferi maris collocavit.* Cæterum Athanasii temporibus non Ravennam, sed Mediolanum, Italiæ metropolin fuisse ex his ejusdem verbis liquet:

Παυλῖν ὁ ἀπὸ τριβέρων τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλιῶν, ἢ ὁ Διονύσιος ὁ ἀπὸ Μεδιολάνων, ἔστι δὲ ἡ αὐτὴ μητρόπολις τῆς Ἰταλίας. *Paulinus à Treviris Metropoli Galliarum, & Dionysius à Mediolano Metropoli Italiae.* At Valentinianus Junior Ravennam Mediolano anteposuit, uti *Bulengerus* annotat.

H. c. Libr. 2.

c. 9.

De Regn.

Ital. l. 3.

§. 22. Civitates quibus Exarchi imperabant, ex omnes erant, quas Longobardi nondum occupaverant. Quamvis enim *Carolus Sigonius* sequentes tantum ad Exarchatum civitates referat: *RAVENNAM, BONONIAM, IMOLAM, FAVENTIAM, FORUM POPILII, FORUM LIVII, CÆSENAM, BOBIUM, FERRARIAM, COMACLUM, ADRIAM, FICOLAS ET GABELLUM*; latius tamen, & imprimis Romæ ipsi Exarchos imperasse, dilucidò ostendam, unde simul Pontificum Romanorum vanitas, ante Pipini tempora, se in Italia gessisse Magistratum, asserentium, omnibus innotescet. Explicanda tamen prius novi, ab Exarchis instituti regiminis forma est, de qua *Nobilissimus Venetus*

Marcus

Marcus Antonius Marcellus videri poterit. Scilicet Exarchi, *de Jure Sec. Pont. c. IX.*
uti summi in Italia Imperatores erant, & Casarem ipsum re-
praesentabant, ita non provinciarum Praesides, uti Romani
olim facere consueverant, dictis obedientes habuerunt, sed
ut quæque civitas & oppidum proprii Rectoris jussa seque-
retur, quos Duces nominabant, instituerunt. Hos igitur Du-
ces Ravennâ in singulas civitates miserunt Exarchi, qui suo
nomine, uti Exarchi Imperatoris Constantinopolitani, eas-
dem gubernarent, unde hujusmodi Ducis praesentia certissi-
muserat juris Exarchi in eam civitatem character.

§. 23. Primò igitur Urbem non Romano Pontifici, sed
Exarcho Ravennensi paruisse antiquitus, ex eo perspicuum est,
quod hi Duces suos in urbe habuerint; ita enim *Germanus*
Romæ praefectus celebratur, cujus tempore, cum Longobar-
dis Francos timentibus, induciæ initæ sunt. Ita *Romanum*
fuisse Reipublicæ judicem Gregorius M. indicat, quando ad *L. 4. Epist. 34.*
Sebastianum Ceriniensem Episcopum conqueritur: *Quæ enim*
frater de amici nostri Domini Romani persona in hac terra pati-
mur, loqui minimè valemus. Breviter tamen dico, quia ejus in
nos malitiâ gladios Longobardorum vicit, ita ut benigniores vi-
deantur hostes, quàm REIPUBLICÆ JUDICES, qui nos
malitiâ suâ, rapinis, atq; fallaciis in cogitatione consumunt. Porro
Praesidii, pacis & belli jura Dominium arguere, indubitatum
est. At militaris, obtinisset hæc Imperatorum nomine
Exarchos, è rebus, tempore Mauricii in urbe gestis, apparet;
Cujus enim dictis quæso obtemperarunt *Gregorius Praefectus* *L. 4. Ep. 31.*
& *Castorius Magister militum*, quorum Gregorius Papa memi-
nit, & inter quos frumentum Ecclesiæ publicum divisit? An-
non idem Pontifex ad Severum, Scholasticam Exarchi scripsit: *L. 4. Ep. 29.*
ut ad pacem Excellentissimum Exarcham, quò titulo eum
Pontifex dignatur, cum Longobardis in eundam, persuaderet?
Et cum nec Exarcho, nec Imperatori satis tuta videretur pax,
sibi in *SERENISSIMORUM DOMINORUM JUSSIO-* *L. cit.*
NIBUS acquiescendum esse, Pontifex fatetur. Et quod
amplius est, ne quidem in ipsa urbis templa jus quoddam,
Pontifices habuerunt, cum in eo Phocæ commendetur libe-
ralitas,

ralitas, quod & templum quoddam, à M. Agrippa erectum, Bonifacio IV. donaverit.

in vita Pelag. 2
in Annos.
§. 24. Sed omnium maximè Romanensium, de exemptione urbis, ab Exarchorum Dominio, obstat jactantia, quod absque Imperatoris, vel Exarchi nutu Pontificem constituere non licuerit, quod non tantum ex historia electionis Pelagii 2. notissimum est, qui inter turbas, absque Imperatoris decreto, in Pontificem assumptus, Gregorium tunc temporis Diaconum misit, ut veniam sibi à Tiberio II. impetraret, sed fatetur hoc Platina: Nil, inquit, tum à Clero in eligendo Pontifice actum erat; *NISI EJUS ELECTIONEM IMPERATOR APPROBASSET.* Et quamvis Onuphrins taxet Platinam, quod electionem & coronationem confuderit, sibi ipsi tamen contradicit, quando addit; *Pro qua licentia, ut ordinari & consecrari posset, consequenda, electio necesse erat certam pecunie quantitatem Imperatori transmittere;* Et cui bono instituta fuisset electio, cujus administrationem Imperator impedivisset? Adde causam quam Onuphrins allegat ipse, generalem fuisse: Scilicet, *ut Imperator certus esset de conditionibus novi Pontificis, cujus tum maxima esse auctoritas ceperat, imperatoribus praesertim Italia absentibus, ne aliquò Pontifice factioso, vel Imperatoris hoste ordinato, (quidni electo?) Urbis & Italia, eò auctore, ab Orientali Imperio deficeret, sed, si mitius barbaris traderet, quod Silverium Papam aliquando quaesivisse, sibi persuadebat Justinianus &c.*

P. Emil. L. 2.
de Reb. Gest.
Franc.
§. 25. Ex his omnibus ad oculum patet, uti Exarchorum jurisdictionem frustra constringere Pontificii laborent, dum negant Exarchos in urbem ipsam dominium habuisse, quoties exercuerunt tamen, tributa quoque & vectigalia (ut & hoc addamus Romanis imponentes, quod tunc, notissimum fuisse Aistulfi Longobardorum Regis, ad Gravamina Pontificis Romani, responso, satis liquet; Vectigal enim urbi Romæ praescriptum ita excusat: *Ravenna potitur Aistulfi sede Exarchi: nec damnari potest, quod JUS EXARCHI, qui longè lateq; imperitabat, TRIBUTUM QUE imponebat, ab impio principe ad piam Longobardorum Regiam revocavit.* Et post pauca

pauca: Legatis (Francorum Regis) comiter exceptis, Aistulfus, cum mandata exposuissent, se quoque Pontificiae Majestatis reverentissimum esse respondit, & pro illa, si quis oppugnet, dimicaturum. Si quid de ditione Romanorum Pontificisve ipse parentesve cepissent, restitutum. Sed Quidnam esse Romanorum Pontificumve Imperium? Græco Cæsari eos recenti etiam memoria paruisse. Ita scilicet falsè jam eò tempore Longobardorum Rex Pontificis Romani Majestatem risit, qui supplex, uti decebat, Imperatorem & ejus in Italia vicarios hucusque coluerat.

§ 26. Vindicavimus hactenus Exarchorum jura, nunc qui fuerint explicandum est. De primo Exarcha *Henricum Meibomium* dubitasse quidem video, ideò quod *Palmarius* Patritium Romanum primum talem Magistratum suscepisse scribat. At si reliquos consulimus Scriptores, communissimam videmus eorum sententiam esse, qui Longinum primum faciunt, in locum Narsetis missum. Quò id acciderit tempore, *Blondus Flavius Forliviensis* ita exprimit: Longobardorum in Italiam ingressum fuisse comperimus, annò inclinationis Romanorum Imperij, centesimo, sexto, & quinquagesimo, *Benedicti Pape*, qui *Johanni* successit, Pontificatus initio. Et *Justino Minore* annum jam tertium decimum apud Constantinopolim imperante &c. Quæ annorum connexio oppido falsa est; Quando enim *Benedictus* Pontificatum administrare incepit, non decimus tertius *Justini* annus decurrebat, cum circa eundem *Pelagius* secundus sederit. Rectius *Onuphrius* Synchronismum instituit, quandò *Benedictum* XVI. Kal. Junii creatum annotat, post CONSULATUM IMP. JUSTINO anno X. Veritati igitur maximè consentanea est *ἡγοράζεις* eorum, qui circa annum Christi 570. Longobardos Italiam invasisse tradunt. Sed quicquid horum sit, de uno, vel altero quoque anno, cum nemine litigabimus, cum diversitatem hanc excusare in facili sit, per intervallum, quod inter *Narsetis* rebellionem & hostis adventum intercessit.

§ 27. Post Longinum pene multos in Italia Exarchos fuisse satis constat, quamvis eorundem series non usque adeò certa

Not. ad Sleid.

de incl. Imp. R.
Dec. 1. L. 8.

Epist. Pontif.

certa videatur. Laudantur communiter Smaragdus, Romanus, Gallinicius, Johannes Lemigijs, Eleutherius, Isaacius, Theodorus Calliopa, Olympius, Johannes Platon, Theophylactus, Johannes Bizocopus, Paulus Eutythius denique, quorum res gestæ, apud Paulum Diaconum, Blondum & alios legi possunt.

Anastas. &
Diacon.

§. 28. Cæterum cum ab Imperatoribus & Exarchis multa tyrannicè fierent Isaacius enim Honorii thesaurum in Laterano depositum, rapuerat, de Constante Imperatore fama erat, eundem totam terram expilasse & nec templis pepercisse Rizo-copus florem civium Romanorum occidit, Longobardi è contrario & Franci humanitatis & liberalitatis mererentur laudes, Aripertò Longobardorum Rege Alpes Cottias Pontifici donante (quæ prima fuit provincia à Pontifice Romano circa annum Christi 704. possessa) ab alienati sunt Italorum & Romanorum imprimis, à Græcis Imperatoribus animi. Accedente igitur Longobardorum exercitu Romani segniter egerunt pleraque, unde Imperii Italici reliquias hostes facile occuparunt.

ad Ann. 723.

§. 29. Accessit novæ inter Imperatores & Pontifices litis materia, quando Leo Isaurus, adversus imaginum cultores animadvertens, easdem prorsus abolendas esse decrevit, invitatus ad εἰκονομαχίαν hanc promissione cujusdam, qui vitam & Imperium Leoni, vel ad centum annos pollicebatur, si simulacra & imagines everteret, quemadmodum consilii Imperatorii occasionem è Cedreno, *Calvisius* adducit. Gregorius igitur, ejus nominis secundus, Imperatorem anathemate obstrinxit, & vectigalia Romana & Itala, quæ ad id usq; tempus Imperatori Constantinopolitano pendebantur, ictò cum Francis fœdere instituit. De qua Pontificis apostasia, seu rebellionem ita *Zonaras*, imaginum defensor; ἀποστήσας ἡν ὡς εἰρηλατῆς τῆς τῆς Βαβυλέως ὑπακοῆς ὁ Πάππας Γρηγόριος, ἀγῆ τὴν ἐκείνης κακοδοξίαν τοῖς Φοβήσοις ἐπέειπεν. Papa igitur Gregorius, desertâ Imperatoris obedientiâ, ut dictum est, ob per-versam illius opinionem pacem cum Francis injit. Seditiosum hoc factum, ut solent Parasiti Curie Romanæ, vehementer commendat

Ad ann. chr.
730.

mendat *Baronius*: Ubi Leonem, inquit, nec verbis scriptisve à
cæptis potuit revocare, neq; beneficiis continere, quin in deterius Dan. IV.
laberetur, tempus jam advenisse ratus, ut securis ad radicem ad-
moveretur arboris infelicis, Apostolicâ autoritate: SUCCIDITE
EAM, clamat. Quo tonitru excitati fideles occidentales, mox
desciscunt penitus à Leonis Imperio, Apostolico Pontifici adhaerentes.
Sic dignum posteris idem Gregorius reliquit exemplum, ne in Eccle-
sia Christi regnare sinerentur haeretici principes, si sæpè moniti in
errore persistere obstinato animo invenirentur. Egregium pro-
fecto Seditiosi hominis exemplum sistit *Baronius*, quod imi-
tentur, qui perfidorum expectant præmia. Conferantur de Chron. part.
XVI. in Chron.
de Regno Ital.
iniquo Pontificis factis Gothofr. Viterbiensis, Abbas Ursper-
gensis, Sigonius, aliique.

§. 30. Nisi in Regum & principum factis arcana sæpè
lateret prudentia, & ideò metuendum esset, ne privatorum
hominum judicia præpostera sint, opinari quis posset Impe-
ratores contumeliæ, quam patiebantur à Pontifice, ipsos
fuisse in causa. Principem certè non decet ulli subditorum
indulgere nimium. Ex adverso communis custodia princi-
patus est, ita habere singulos, ut agnoscant liquidò, non Im-
perii, sed obsequii gloriam sibi quærendam esse. Hunc Impe-
rii nervum cum inciderint Augusti, suam in Italia autorita-
tem munificentiam prodiderunt, perdiderunt. Eventus id
docuit, quando Servorum Servi, miselli olim Ecclesiæ Roma-
næ Episcopi, nunc ab Imperatoribus sibi præstitam reverentiam
elati & è Muscis Elephantes quasi, insolentissimas ad Impera-
tores dare Epistolas cœperunt, nec verbis contenti, perfidi-
am suam factis demonstrarunt. Prima iniquitatis hujus de Com. 6. 4.
specimina, vel ipsò Onuphriò iudice, Gregorii exhibuerunt.
Cum enim à Longobardis premeretur Italia, & urbem ipsam
Luitprandus Longobardorum Rex obsideret, non ad Magi-
stratum legitimum, sed ad Francorum Reges, longè latèque
per occidentem florentes, confugerunt Romani, Carolum
Martellum, Majorem Domus seu Palatii præfectum implo-
rantes. Quod ubi semel cessit feliciter, (Martelli enim auto-
ritati Longobardus dolorem suum condonavit & pacem urbi
dedit)

D

dedit) neglecto in Græciam itinere, olim perquam trito,
Francorum auxilia sæpius implorarunt.

§. 31. Imminebant jam ultima Imperio Occidentis
fata; Aistulphus enim Longobardorum Rex, attritis per con-
tinua bella & disidia cum Pontificibus, Imperatorum in Ita-
lia rebus, Ravennam Exarchorum sedem, cum partibus Italiæ
reliquis, Græco Imperatori hætenus fidis, sine difficultate
occupavit, Eutychiô Exarchorum ultimô in Græciam fugiente.
Capta est Ravenna, annô Christi 743. uti *Anastasius* habet,
vel uti *Onuphrius* annô 744. temporibus Fl. Constantini Co-
pronymi & Zachariæ Pontificis. Atque ita Exarchatus digni-
tas, quæ ultra sesqui seculum duraverat, peregrino cessit, nun-
quam ad pristinum Dominum reditura.

§. 32. Hæc victoriâ non contentus Aistulfus, Romam
ipsam, postquam Ravenna cesserat, jure sibi obnoxiam puta-
vit. Hanc ergo dum tributariam facere conatur, Stephanus,
qui Zachariæ successerat, transalpina quærit auxilia, quæ
apud Pipinum, Martelli filium, invenit quoque. Antea ad
Cæsares ibant Pontifices, hic primus ex Italia ad externos re-
ges se contulit. Et quamvis necessitate excusetur consilium
hoc, tantam tamen eam fuisse, quæ Pontificem à prodicionis
& perfidiæ crimine potuisset absolvere, idè dubitamus,
quod *Paulus Æmylius*, in Pontificis partes aliàs propensus,
disertè referat: *Stephanum, permittente Aistulfô, iter per Lon-
gobardorum fines in Franciam ingressum, Legati Constantini
Cæsaris adivere, orantes, ut Aistulfi, nihil illi denegaturi fidei, se
credere, quam Francorum mallet, ET LONGOBARDUS
EUM AB INSTITUTO ITINERE POLLICITATIO-
NIBUS REVOCARE CONTENDEBAT. FLECTI
NON POTUIT PONTIFEX, &c.* Quæso Te quanam
necessitas hæc, hoste ipsô ad preces fugiente? Uter durior,
an qui flectere, an qui flecti noluit? Itaque aliud quid in ani-
mo Stephanus habuit, & Exarchatum perfidô votô complexus
est, uti rei eventus postea docuit.

§. 33. Priusquam ea, quæ in Galliis acta sunt, adduca-
mus, ut de historia constet plenius, recensendum breviter
est,

in Fast.

174. Ann.

in Pipino.

est, uti favorem & clementiam Pipini scelere quodam Pontifices demeruerint, & ne quis de historiae veritate dubitandi occasionem habeat, & Scriptore fide digno, & qui ante Reformationis initium floruit, ac Celeberrimi Reuchlini Praeceptor fuit, Jobanne Nauclero scilicet, iniquissimum illud Pontificis factum cum singulis circumstantiis recensimus: Solebant Gener. 26.
Franci ex antiqua stirpe Reges habere, qui à Merovio Clodij 2. Regis filio Merovingi dicebantur quorum Genealogia usque ad Hildericum permanebat, in quo etiam tunc deficiebat. Nam jamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam clarum in se, praeter inane nomen Regis vocabulum praeferebat. Opes & potentia Regni penes palatii praefectos, qui majores domus dicebantur, & ad quos summa Imperij pertinebat, qui tum erant Caroli Marcelli Successores duces dicti, nec aliud quicquam Regi permittebatur, quam ut Regis tantum nomine contentus, crine profuso, barba promissa, in solio resideret ac speciem dominantis effingeret, Legatos undicumq; venientes audiret, eis abeuntibus responsa, quae doctus erat aut jussus, velut ex sua potestate redderet, tunc praeter precarium vitae stipendium, quod ei praefectus aula prout videbatur, exhibebat, nihil aliud possidebat, quam unam, & eam parvo redditu villam, quae domum & famulos paucos haberet. Quocumq; eundem erat, carpento vehebatur, quod junctis bobus, & bubulco, more rustico agente trahabatur. Sic ad palatium, sic ad publicum conventum, qui Kalend. Maji ob regni utilitatem annuatim celebrabatur, ire solebat, & coram tota gente praesidens omnibus salutat, debitisq; obsequiis honoratus, domum redibat. At regni administrationem, & omnia, quae vel domi vel foris disponenda erant, praefectus agebat aula, quo tum Pipinus velut hereditario Jure fungebatur. Itaque Pipinus Regum Francia inertia perspecta, cum domi delitescerent, nec Reipub. procuracionem ullam susciperent, Zachariam Romanum Pontif. quod & proceres populiq; ejus gentis

Lib. 2.

gentis Pipini virtutem & Regis Hilderici amentiam debitis pensarent meritis, Zachariam Pontificem consuluit, ineptum ne Regem & inutilem tolerandum, an Pipinum meritum fraudandum regia dignitate censeret? Cumq; Pontifex respondisset, eum, qui melius obire potest munera, habendum Regem, Franci publico totius gentis consilio Pipinum Regem eligunt. Quod & per Zachariam probatum extitit. Hunc Bonifacius, qui Catalogo Sanctorum adscribitur, Sveffione Regem unxit, ac Hildericus homo vacor de tonsò capillo monasterio deputabatur. Acta sunt hæc anno salutis 750. Verè igitur Paulus Æmylius scribere potuit, Stephanum Pontificem maximum, & vitâ admirabili & RECENTI ERGA PIPINUM MERITO Sanctum de rebus Italicis agere cœpisse.

§. 34. Aistulfus igitur graviter coram Pipino à Pontifice accusatus, per Carolomanum Monachum, Pipini fratrem, causam suam egregiè defendit, & in gratiam Regis Francorum, tributum condonavit Romanis, atque è Ducatus Romani finibus præsidia deduxit. De Exarchatu autem respondit: Ravennatem præfecturam tam procul ab urbe de Impio Cesare captam, jure belli suam tactam. Ravennam utique non restitutum. Quò responsò non contentus Pontifex Pipinum ad arma capeffenda permovit. Superatis igitur à Pipini milite alpibus, Aistulfus, Papiæ conclusus, pacem verbis emit, promittens Stephano Ravennatum præfecturam, cui tamdiu Romani Episcopi infidiati sunt.

§. 35. Aistulfus à metu Francorum liberatus, postquam Pipinus domum reverterat, urbi denuò obsessæ & Pontifici ipsi ruinam intendit, quare in summis angustiis versans Pontifex, literas ad Pipinum, tanquam à Petro è cælo missas, dedit, quarum inscriptio: *Petrus vocatus Apostolus Jesu Christi --- --- --- & per me omnis DEI Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum DEI, ipsius Redemptoris nostri sanguine, supra firmam fundata Petram, atque ejusdem almae Ecclesie Stephanus Presul, Gratia pax & virtus*

*Et virtus ad eruendam eandem Sanctam DEI Ecclesiam, Et
ejus Romanum populum mihi commissum de manibus perse-
quentium, plenius ministraretur à Domino DEO nostro, Vobis
Viris Excellentissimis, Pipino, Carolo, Et Carolomanno tri-
bus Regibus, atque Sanctissimis Episcopis, Abbatibus, Presby-
teris, vel cunctis religiosis Monachis, verum etiam Ducibus,
Comitibus Et cunctis generalibus Exercitibus Et populo
Francie commorantibus. Initium Epistolæ est: Ego Petrus
Apostolus Et c.* In hac PseudoPetrina Epistola Pipinum &
Francorum Principes hortatur Stephanus, ut celerrimè suc-
currant urbi, quemadmodum è literis ipsis, quas *Baronius ex-*
hibet, prolixius videre licet.

*Ad ann. 755.
n. XVIII.*

§. 36. Bellò igitur redintegratò, Aistulfum Francis
imparem prioris pacis conditiones implere oportuit. Atq;
ita rebellionis suæ præmium Exarchatum Ravennensem, Im-
peratoris & Domini sui ditionem, Pontifex adeptus est;
cujus fines cum denuò turbaret *Hetrurix* Dux & Aistulfi, ab
apro icti, Successor *Desiderius*, à *Carolo Magno* is devictus
est, quod jam sive fessi, sive delicati Longobardi, & ducento-
rum plus minus annorum deliciis in Italia emolliti desivis-
sent fortes esse. Sic ætate ac morâ labefactantur omnia; Sed
si corruptela accedit, præmaturò vitiò corruunt. Experti
hoc Cæsares sunt, & Cæsarum victores Longobardi, quorum
locò Pontifex in Italia eminere cœpit.

*Boxhorn. Hist.
univ.*

§. 37. Quamvis autem Imperatores Constantinopoli-
tani, suis in Italia rebus, armorum vi, consulere non po-
tuerint, nequaquam tamen curam Exarchatus omnem abje-
cerunt: *Gregorius* enim, *Constantini Copronymi* Legatus &
Princeps ab arcanis, ingressus Francorum castra, *Pipinum*,
Imperatoris nomine, oravit, ita regeret Romanum Pontificem,
ut Augustorum majestatis meminisset. Præfecturam Raven-
natium tam esse juris Augustorum, quam *Lutetiam* regum
Francorum. Aistulfum eadem injuriâ illam occupasse, quâ
majores ejus reliquam Italiam. Optare se, confidereque
hujus

Emyl. L. 20

hujus belli victoriam Francorum fore, eos non dominandi cupiditate Italiam, quod bonum ipsis Pipinoque, ac faustum sit, sed juris & pietatis causa ingressos bellare: jureque suo Augustis restituendo, posse Imperii nomen immortali beneficio in omne tempus Regiæ Francorum devincire. Concludit tandem Legatus: *Occupatō Barbarorum armis Cesare, pietatis tuæ est, cum fructum belli hujus Tibi nullum præter decus petas, bellō ex sententia confectō, suam etiam Augusto servare Majestatem.* Enimverò ambiguè respondit Francus, victoriã partã se cogitaturum, quidnam sit officii sui. Se enim non gloriæ mortalis cupiditate, sed religionis causa, promerendæque cœlestis gratiæ, in Italiam descendisse. Et quamvis nec postea à postulatis suis cessarint Græci, cum Aistulfo hæ pacis condiciones præscriberentur, ut Stephano cederet Ravennatium præfecturam; Reclamante enim Græco Oratore, pacem initam esse, annotavit *Æmylius*; Nihil tamen, neque tunc, neque postea, Carolō Magnō & successoribus donationem Pipini confirmantibus, obtinere potuerunt.

Loc. cit.

§. 37. Pipini, Caroli & Successorum ejus benignitate Pontificis Romani potentiam stabilitam esse, uti è dictis hætenus satis liquet, ita illud insuper monendum est, utile Dominium tantum earum civitatum, quas Exarchatus antea complexus est, cum aliqua dicendi juris potestate, tunc ad Pontifices venisse, summum principatum autem, seu vim regendi, Pontificem non accepisse, quod Parasiti Romanæ curiæ obtendant, quorum opinionem commentitiam esse, ex eo perspicuè apparet, quod Romani cives jurejurando Carolo & successoribus ejus obstricti fuerint; quod Carolus Romanis leges dederit, quod inter metropoles, Carolo subditas, Romam primam recenseat *Eginhardus* & quod Lotharium omnia regna Italiæ tenuisse, cum ipsa Roma, asserat *Regino*; Quibus argumentis addendum illud est, quod in Tabulis Ottonianis, in quibus donationes pristinae confirmantur, expressè legatur:

In Vita Car. M.

In Chronic.

Salva

*Salvâ super Eosdem Ducatus nostra in
omnibus Dominatione, & illorum ad nostram
partem & filij nostri subjectione. Sed de
his alibi dicendi locus erit, nos finimus in
præsenti: postquam de fine Imperii prisca in
Italia diximus.*

SOLI DEO GLORIA.



GAH T. 6063

Salva super...
omnibus...
his sibi dicendi locus est, nos firmius in
presenti: postquam de sine imperii p[ro]lici in
lecta dicitur.

SOLE DEO GLORIA



hL

V. 17



U.K.
375,
15.

EX

DISSERT

Pluri
DN. Æ
THEO

35

ssssss

TUS

RECENSITA,

lentissimi
HII, S.S.
.P. NEC

NUS,

